



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

6. Vinculu[m] matrimonij cur bonu[m]?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Baptismo ( qui est janua sacramentorum ) neque consensus ad sacramentum requisitus ibi esse solet. Quo pacto enim in sacramentum consentit, si vel alteruter, vel vterque sit Iudæus, si Turca, si Ethnicus, quorum apud Indos utrosque innumerabilis est multitudo? Quare licet Hispanus Catholicus sponsus Ethnicam ducat Peruanam, aut ex insulis Philippinis, haud tamen erit illud matrimonium censendum tale *sacramentum*, sponso præcisè contractum, sponso etiam *sacramentum*, quale Christus instituit, destinante. Quin et si duo Indi, aut alij infideles qui inter se matrimonium contraxerunt, eo jam contracto, postea Christo addicti baptismo tingantur, tamen non illico coniugium illud fit, hoc sensu, *sacramentum*. Est enim signum sitæ coniunctionis Christi cum Ecclesia; non est tamen illud signum efficax gratiæ prout à Christo est institutum, cuius reuerentia Christiani, adhuc meritò se magis ligatos arbitrantur. Atque hinc habent vtiq; Christiani, quod sibi gratulentur, quia Iudæorum, aliorumq; infidelium matrimonia, etsi naturâ sua, insolubilia sint, Christianorum tamen simul etiam sunt efficacia, efficereque possunt, vt insolubilitas hæc grata sit atque iucunda. Habent item causam cauendi, ne se in Iudæorum, aut Ethnicorum coniugia præcipitent. Habent item infideles causam, vt ad Ecclesiam Christi transeant. Nam baptizati deniq; contrahere possunt, vt è coniugio fiat practicum gratiæ signum *sacramentum*.

Sanct. l. 2.  
d. 9. n. 5.

## VI.

Qui in margine navis, inter fluctus, vehuntur, optant gaudereque esse ligati, ne excutiantur. Tale vinculum est matrimoniorum: ligat in securitatem, astringit in amorem: facit, vt quod tanquam bonum semel electum est, semper habeatur. At multis hoc malum videtur, & cuperent à malo liberari: Quid si cuperent contra suam vtilitatem? Quid si supremi Gubernatoris beneficam manum à se auerterent? Nam vel boni sunt coniuges, & inuicem amantes, & eapropter bonum est illis, status perpetuus, quia amantes nihil magis timent, quam separari; quod testantur lachrymæ atque luctus, quos in coniugum funeribus ostendunt: vel mali sunt, & hoc ipso merentur coniuncti manere, vt malum simul sit, atque mala vxor.

malum



malum maritum, maritusque malus malam vxorem plectat, coërceatque. Quòd si verò vnus coniugum bonus, alter malus existat, neque híc deest prouidentia iustitíaque Dei. Nam mala pars bonam exercet, & velut Xantippe, Soerati præbet occasionem philosophandi: bona autem pars malam exemplo potest emendare & verbo. Quid si & bonus alioqui coniux malam aliquando meruit vxorem adipisci? Cur enim sese in nuptias tam improvidè immerisit? cur formam, & non virtutem aspexit? cur carnem, & non rationem consuluit? cur, compotofibus, & non potiùs parentibus credidit? cur vnâ chorea, vno munusculo, vno blandiore se oculo capi permisit? Igitur, si cetera est bonus, cetera felix, coniugio luat temeritatem, & exemplo suo doceat alios esse, in sectandis feminis, cautiore. Multi, qui vel sibi ipis suspecti sunt, vel quibus suspecti sunt alij, quasi eos essent ad statum religiosum pertracturi, quàm timidè tales adeunt? quàm attentè verba eorum omnia expendunt? quàm artificiosè illos declinant? ne in retia incidant, aut vt veriùs dicam, ne Mundo nuntium remittere, & Deo seruire persuadeantur? Cur non pari cautela vtuntur, quando in gynæcéum intrant, & cum puellis confabulantur, aut inter conuiuia lasciuunt? Cur ibi nulla metuunt retia? cur ibi viscum non timent? cur ibi tam securè omnia promittunt? cur per iocos, seria agunt, & verbis mellitissimis, dum insidias struunt, insidias incurrunt? an non legerunt? *Homo, qui blandis fletisq, sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus.* Habeant ergo, quod quaesierunt. Trahere eos volebat Deus *in funiculis Adam, in vinculis charitatis*, illi autem alia vincula ambierunt. Maneant igitur ligati, neque Dei accusent inclementiam, sed suam dementiam agnoscant; qua vocanti Christo, & diuinæ voluntati restiterunt; ob hoc vtique pœna digni; qua vt eos plecteret, iustissimo iudicio, eorum voluntati satisfecit. Habeant vxorem, quam habere voluerunt; etsi non qualem voluerunt. Sibi imputent errorem, quem corrigere meliùs non possunt, quàm si libenter sint cum ea, cum qua semper esse debent. Sic eis insolubilitas sua bona videbitur.

Prou. 29. 5.

Osee. 4. 11.

V u

Nam